

Ec. 13. 4to



Nuptiis

4

CLARISSI-

MI ET DOCTISSIMI

VIRI D. N. M. BALDASSARI

KIESVETTERI, SCHOLÆ ILLUSTRIS

Serueſtanæ Rectoris, SPONSI: Et pudiciſſimæ

Virginis ANNAE Guntherianæ, Optimi & pru-

dentis: viri Christophori Guntheri,

Iudicis Camiciani filiaë,

SPONSAE:

IOACHIMVS MEISTERVS

Gorl. F.



GORLICII

Ambrosius Fritsch excudebat.

Anno

M. D. LXXK.

Nupis

GLARISS

MI ET DOCTISSIMI

VIRI D. N. M. BALDASSARI

ALFVETTERI, SCHOLAE ILLVSTRIS

Sacrae Theologiae Professores et Publici

Virgines et in Universitate

de iure in Consistorio

Judicis Cantuarii

PONSAR

IOACHIMVS

COLL. N.



GORLICI

Annotas Tisch exudebat

Anno

M. D. LXX.



DOMVS DO
MINI.

Empus erat, Chironis equum Titania cursu
Astra fatigabant: pharetras & tela ferebant
Venatu nemorum assueti, sylvisq;, ferisq;,
Phæbus, & indomito iamdudum Thessalus arcu,
Carmine solennes sponsis meditabar honores,
Mane nouo, condens nocturna ad lumina verba.
Nata Ioua, niucos quos curru iunxit olores
Stare iubens Erato, primoq; in limine sistens,
Diua fores pandens irrumpit: & haud mora, raptum,
Sicut eram incomtoq; habitu, incomtoq; capillo,
Nocturnam vestem indutus, super æthera longè
Irenata me vexit aui, per inania tollens.
Ipsa manu flectens laxas molitur habenas,
Insuetas hominiq; vias & nubila tranat.
Iam medium cæli scandens Sol aureus orbem
Exierat, curru extremum & pulsat Olympum:
Candentem campo viridi dea sustinet axem,
Deponens varia longa ad diuortia aquai
Cunctantem me, & multa meo cum corde putantem:
Dimittens volucres in pascua nota iugales.
Campus erat nullo signatus limite circum:
Nulla feras arcens, firmo munimine sepes,
Texta manu, tantos claudebat limite tractus
Illhic per magnas labentia flumina terras
Spectabam diuersa locis, Rhenumq;, Ararimq;:
Et caput vnde suo Iordanis voluitur amne:
Vnde Hebrus seuum ruit: vnde binominis Ister:
Terrificansq; olim Tyberis: tum gloria nostri
Ruris, agens flauas non magno flumine arenas:
Et gemina auratus Laurino cornua vultu
Quondam adeo, seuo nunc fluctu turbidus Albis.

Surgebant geminae, nec eodem ad sidera cultu
Collibus aduersis sedes, quarum altera ligno
Palma structa, graui tollebat pondera nisu:
Congestum canna culmenq̄, & arundine agresti
Assidui crebra pulsabant grandine nimbi.
Altera de lexi surgebat marmore tota:
Nec cessabat opus, vigili super arte, manuq̄
Instabant, cultusq̄, viri, formamq̄, decusq̄
Addabant, alios meditati semper honores.
Reges ducebant fossas vallumq̄, struebant,
Falsi animis, ultroq̄, & opes & dona ferebant:
Reginae ad sedes ibant, peplumq̄, trahebant.
Hic dea me prensum dextra per singula duxit.
Prima domus nullo cultu, non diuite gaza
Intus erat: tantum resonabat ad aethera Iouam,
Vnigenamq̄, Ioua natum, diuinitus auras
Spirantesq̄, patris, tum Nati pectore flammās.
O quos Vnigenae & quantos memorabat amores
Terrigenum in gentem: roseo qui sanguine fuso
In Solymis, pulchramq̄, petens per vulnera mortem:
Amisissos generi nostro renouauit honores,
Atq̄, iter ad superos pandens reserauit Olympum.
Vnius haec memori condens benefacta tenebat
Pectore: non spes vlla super, fiducia rebus
Nulla super, non vita super, via nulla salutis.
Quem veniente die, quem decedente canebat.
Parte alia rutilas facta prece Flamen ad aras
Liba tenens sacrata manu, vinumq̄, ferebat:
Nectaris aethereosq̄, haustus, quos ducere Christus,
Ambrosiasq̄, dapes, voluit quis pectora vesci:
Viuisicos trahere & succos, vitamq̄, vigoremq̄
Insertos quā vulnus hiat, quā sanguis inundat.
Ceum quondam Pharijs qua stagnat Nilus in oris
Isacide veteri Ioue se more tenentes:
Maectatum ritu solenni ab ouilibus agnum

Affi-

Affixumq; veru, stantes, lauaq; tenentes
 Pastorale pedum, & cincti latera ardua balthæo
 More viatorum, vescentes auspice Ioua:
 Credebant agnum fore, qui commissa luendo
 Tolleret, & roseo conspergeret ostia rore.
 Atq; hæc sublimi quoties ad sidera vultu,
 Cernebant: toties memori sub pectore Christum
 Voluebant, letumq; choro Pæana canebant.
 De trabe pendent artus, fusumq; cruorem,
 Vulnus hians altè, violataq; tempora rhamno
 Perfossosq; pedes clavis palmasq; cruentis,
 Et lethum tristi roseum cum corde putabant.
 Hic genus omne hominum, pueri, innuptaq; puella
 Matres atq; viri studio mandata capeffunt
 Munera quisq; sibi, atq; operis feliciter instant,
 Solantes tremula commissum voce laborem.
 Vidi qui libris affixi immobile VERVM
 Quærebant studio, quorum sub pectore cura
 Tundebant æstuq; animos, flammaq; coquebant:
 Tramite de recto raperet ne deuius error:
 Olli neue animos non VERI simplice cultu,
 Imbuerent: placitis auditifundere dictis
 Falsa super Iouæ verbo, verboq; salutis:
 Aut diuûm in templis, teneræ cætuue iuuenta.
 Hoc prece poscebant magnum, vultuq; Tonantem
 Sublatis cælo geminis cum lumine palmis.
 Ducentes altè suspiria pectore ab imo.
 Non hos inter, inops animi, fera, prodiga VERI
 Gaudens quæ vadit scissa Discordia palla,
 Liuor & arrodens tacito sua corda veneno,
 Inuidiæ stimulis vrens agitando nefandis,
 Suspiciog; procax, & vana Superbia recti
 Haud se mensa suo pede: sed tumefacta sinistra
 Pectus aui, diuûm demens sibi poscit honores.
 Ardebant tepefacta deûm per pectora flammis,

Flammis que commissa tegunt & crimina celant
Fratrum, vertentes in risum, & ludicra noxas.
Si tamen & vitij quid, mollia pectora si quid
Tentat agens, tacito & serpit per membra veneno:
Fixa Ioua, votisq; vocans Mens mole sua stat,
Facta nec assensu vitiat, nec crimen acerbat.
Parte alia, qua culta domus super aethera surgit,
Regum equabat opes, censuq;, & diuite cultu.
Namq; hic cernere erat: primum de more vocatis
Regum qui populis, subnixi sedibus altis
Iura darent: dextra gladios in crimina sontum
Districtos, leua librumq;, pedumq; tenerent.
Ex quorum numero multi, thoracas ahenos,
Armaq; que totos obeunt splendentia, longa
Et chlamyde, & Tyrio velabant de super ostro.
Pontificum genus haud Christum, vitamq; secutum
Sanctorum, tumefacta gerens praecordia fastu:
Squalentesq; sinus auro, gemmisq; crepantes.
His alij sese addiderant multum impare cultu,
Atq; inimicitias praese, atq; odia aspra ferentes
Quondam etiam dictis seui capita alta petentes.
Qui verum Ioua sceleri pratexere honorem
Assueti, & studium immoti haud mutabile VERI,
Peruolitant urbem cursu, & penetrantia regum,
Quo capiunt, magno quo nomine seq; tuentur.
At pectus flammis odij insatiabilis ardet,
Contra illos diuersa colunt qui limina Sedis
Aduersa, quos carceribus, quos mergere letho
Exilione parant. Nam vana superbia, victos
Ire homines supra qua tendit: ubi arte negatum est
Et virtute super, crudelibus aestuat ausis.
Non sic igne crepant accensi summa Vesui
Vertice fumanti picea, lentaq; fauilla:
Cum glomerant, flatuq; ferunt incendia venti
Saxa per, & scopulos, & finitimas conualles.

Ceu

Ceu furi ingentes aestus per pectora voluens
 Ambitio Stygia surgens de sede: sub antro
 Praebuit inferno cui lac Cocytia virgo.
 Offas obiecit semesas Cerberus ingens:
 Errandog³ super cunas de crinibus angues
 Vipercis lasi furiarum, dira venena
 Trita³ cum tumida Phlegetontis sibila spuma
 Miscuerunt: quis vana tumens, & vana locuta
 Posceret infelix diuūm sibi Numen honores:
 Veste sacerdotum, & sumto per tempora lino.
 Ergo non populos quamuis ditione superbos
 Illa premit, dura aut subiectos lege gubernat:
 (Vellet enim, nec vana fides, sed turpibus ausis
 Fata obstant, moresq³ negant, concessaq³ auita)
 Quod pote vel populi varias se flectit ad auras
 Regum vel placitis demulcet pectora dictis:
 Vertendo pietatis opus, diuinaq³ scita
 Quaeq³ satus Ioua cecinit Galileide terra:
 Arbitria ad regum, quae fert sua cuiq³ cupido.
 Quo capiat tumida quas dextra tractet habenas
 Imperia exercens in Ioue dura ministros.
 Exosa hos omnes, atq³ instans crimine saeuo,
 Quotquot Ioua DEVS superūm pater, atq³ hominum rex
 Ante alios multa praestantes reddidit arte:
 Ingenium dedit, & superas volitare per auras
 Iussit, iter pandens: tum VFERI pectora cultu
 Imbuit, hoc unum tanto quaesisse labore,
 Hoc vigili cura, noctesq³, diesq³, subegit.
 Non odio imponens finem, saeuoq³ furori,
 Non cum tumba tegit cineres, seruatq³ sepultos.
 Quin adeo nil iam cuiquam debentibus instat:
 Et quos dextra nequit, faeda aut iniuria dextra
 Impia vox Manes tentat, fodit impia lingua.
 Non sic busta subit, non vocem tollit Hyæna:
 Custodem quamuis pecoris fera nomine clamet

Auditos imitata sonos, & funere mergat
In tumultum mactans alienum, funere acerbo.
Eheu quem finem furor, & vesana libido,
Iniusti & decoris sitis omnibus acta medullis:
Quem finem facies tandem sine more ruendo,
In cœtu sancto, Ioue qui sanguine candet,
Quem finem regnumq; & opes sine fine petendo.
At non ille sequi quem te mentiris, & horres
Bis genitus, cœli sator, & de virgine cretus:
Talia perstabat memorans præcepta ministris
Cum grauis urgeret iam tum rude pectus honorum
Atq; loci in regno scelerata cupido prioris:
Namq; volebat uti non auersatus obiret
Triste ministerium, qui vellet magnus haberi,
Et sese præferre alijs, suaq; inclyta facta:
Neu sese imponens Victor cervicibus altis
Subderet imperio socios, traheretq; catenis
Colla triumphanti similis, per deuia lustra.
At scelerosa domus sublati vertice cristis
Pontificum de more sibi regnumq;, tiaramq;
Inconcessa petens, Ioue mandata superbe
Posthabet indulgens immanibus effera cœptis:
Infœcunda boni, veri effœta, inscia recti,
Immanis vitio, ausu audax, animisq; profana.
Hæc postquam studio lustrassem cuncta pererrans
Frenatos iungens curru Dea rursus olores:
Me statuit thalamo per inania nubila vectum.
Tum verò exponens multis spectacula verbis
Fataq;, fortunas virum, geniosq; domorum:
Aethereas abiit penni sublatâ per auras.
Sponsis ista iubens canere, atq; nouis Hymenæis.
Ergo sponse tuus decus, & decus omne Camænis,
Ecce tibi rutilant tæde, tibi ducitur vxor,
Vxor, & ingenio præstans, viridiq; iuuenta,
Quam radians forma vultus, & lumine ocellum

Esse

Esse parem superis faciunt: sed maxima dos est
 Scire Iouam, cuius uiuant sub pectore flamma,
 Ignis & irradians depascat luce medullas.
 Non talis quondam formose diua Iuuentæ
 Nectareos fundens haustus, & plena ministrans
 Formosa superum genitori pocula dextra:
 Amphitryoniade magno coniungitur Hebe.
 Nunc adeo nunc tempus erit sub corde putare
 Usq; tuotecum: quando hæc te cura remordet:
 Quam petisse domum malis, quo limine ferri
 Hospes, amans Veri, tandem quæ tecta subire.
 Anne domum, leui surgens quæ marmore candet:
 Intus agens scelera & fraudes, pratexit honorem
 Atq; Iouæ decus, & sanctæ pietatis amorem:
 Et studio celat mendacia friuola Veri.
 An verò, nullo quæ cultu exposita procellis,
 Cui VERVM cura, & sancti fiducia Iouæ
 Quem veniente die, quem decedente fatigans
 Votis poscit opem: seu magni machina mundi
 Corruat impauida, & tantæ securo ruine.
 Tantus amor Iouæ, tanta est fiducia captis.
 Principibus placuisse viris, malisne Tonanti:
 Auri atq; argenti natis stipasse talenta,
 An posuisse Iouæ in gremio, cælestibus oris
 Thesuros quos nulla dies, discrimina nulla,
 Seruorum non furta, faces, incendia carpant:
 Immundiue gula donent, ventriue nepotes.
 Ah pereat vanos hominum qui spectat honores,
 Et pulchrum digito monstrari: Haud conscia Veri
 Corda gerens, nullamq; pctens in vertice Olympi
 Lucentem fuluo sedeat quæ crine coronam.
 Ah pereat quem cæcus amor, regniq; suiq;
 Vexat agens, rutilas cui condit pectore flammæ,
 Ignescens quibus, à terra nitatur in altum
 Affectetq; viam: sed quando nulla potestur

Ienna

Penna leuare solo, non Mens exculta per artes :
 Eheu quas fraudes agit, qua pectore versat
 Consilia, ut fucos fallat, fallatq; veneno,
 Seu procerum seu vulgi animos simulando fatiget :
 Euertatq; bonos, lapsosq; e culmine tanto
 Insistent pede colla premat : lethoq; subactos
 Quà pote mergat agens, nusquam miserescere certus :
 Tum verò tum firma sua fundamina Sedis,
 Arte locans, teneat discrimine quem sibi tanto
 Delegitq; locum, & muniuit fœdere certo.
 Ars nostri hæc aui est. At qui sibi, ô sibi cælo
 Mansura potius, qui querat limina sedis
 Unigenæ Christi precibus votisq; fatigans
 Pectora, quem certum est miserari incommoda nostra :
 Qui nos sublatos animis & pectore cælo,
 Cristati triuisse sinat fera colla colubri
 Tenario qui regna tenet inferna sub Orco.
 Quæ tibi Sponse decus Musarum, gloria Phæbi,
 Fœua petita dabit : Sed tu flammantia Sponse
 Pectora ab igne Fœuæ, defixaq; lumina cælo :
 Siderea atq; astris sublatum frontis honorem :
 Funge tibi, sua quæ iungat suspiria ab imo
 Pectore : tum fixis hærentia basia labris :
 Hæc superùm expugnant genitorem, hinc maior agit vis,
 Maior agit, natiq; trahens de vulnere succos
 Letificos, natiq; bibens de pectore vitam :
 Sensum omnem Fœuæ eripiens, miserescere cogit.
 Namq; duos : quos vna fides, quæ mutua nexu
 Corda ligat, duris Fors vrgens improba rebus :
 Atq; coire iubet, capita & conferre precando :
 Conuentus trahit in medios, medioq; paratus
 Auxilium feret, in medio præbebit habendum
 Ipsum se medium, Christus qui talia fatur.
 Sic quæ sponsa comes lateri indefessa coherens
 Tecum vna precibus poscet, votisq; Tonantem

Cnn.

Cunctaferes: sacrum ò tædæ, thalamiq; iugalis
 Fœdus, ò egregias artes, quâs astra fouamq;
 Exuperat vincens, & cælos vertice supra est.
 Quid? cùm parua mouens in cunis membra iacebit,
 Matrem qui referatue patrem, vix menstruus infans:
 Adiunget non ille preces? non ille parentum
 Ploratu miserans sortemq;, & vota secutus,
 Vagitu magnum tremulo referabit Olympum?
 Quid? cum iam voces meditari aut hiscere discet,
 Et lallare Fouam, Christumq;, abbamq;, Deumq;?
 Sueta ille humanis precibus mansuescere, flectet
 Numina sancta Foua, & victis dominabitur astris.
 Hec adeò ex illo tibi nunc speranda fuere
 Tempore sponse, graui quo primum pectora cura
 Saucius, egregiam & veris ornatibus auctam
 Funxisti tibi, quæ flammis medicabitur, Annam:
 Ardentesq; tui restinguet pectoris æstus.
 Hec adeò ex illo tibi nunc speranda fuere
 Tempore Sponsa: graui cum saucia pectus amore:
 Eximium, & veris Sponsum virtutibus auctum
 Funxisti tibi, qui stridens sub pectore vulnus
 Sanet, opis gnarus, vita, rectiq; magister.
 Qui tecum, quam Musa domum, quæ limina VERI
 Conscia, quos cætus ostendit, pectore toto
 Qui accepere Fouam, ingressus: cursuq; peracto
 Tecum etiam viuet cælo felicibus oris:
 Qua vitam Christi de pectore, temperat aura.



[Faint, illegible Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



Cl 4160

ULB Halle


3


003 485 978



me







Nuptiis

CLARISSI

MI ET DOCTISSIMI

VIRI D. N. M. BALDASSARI

KIESVETTERI, SCHOLÆ ILLUSTRIS

Serueſtanæ Rectoris, SPONSI: Et pudiciſſimæ

Virginis ANNAE Guntherianæ, Optimi & pru-

dentis: viri Chriſtophori Guntheri,

Iudicis Camiciani filiaë,

SPONSAE:

IOACHIMVS MEISTERVS

Gorl. F.



GORLICII

Ambroſius Fritſch excudebat.

Anno

M. D. LXXX.